

quod et consilium fecerunt ut Jesum *dolo* tenerent et occiderent (a). Improbam plane malitiam et nequitiam qua sibi non minus, quam universae genti extremam perniciem consciverunt! Sed neque iudicium *admonitionis* processit, nam Luc. XX. 4. prohibentur principes sacerdotum et scribae cum senioribus a Jesu sciscitantes unde acceperit potestatem docendi et ea patranda quae faciebat, seu argumenta suae missionis, quos Christus ad silentium adegit proposita quaestione de Joannis Baptistae missione; verum neque ibi, neque alibi usquam ullius admonitionis occurrit mentio. In aliis vero locis ab adversario adductis agitur de potestate miraculorum edendorum quam sibi Christus attribuit ac in se credentibus promittit in aliis prorsus temporis, loci, ac personarum adjunctis; haec cum iudicio, quod vocatur *admonitionis*, quid tandem commune habeant, plane non video.

Ad 6. D. Accusatus absque tabulis ac testibus. C. damnatus N. Utroque hoc crimine tanquam praetextu ac pallio usi sunt pharisaei ac sacerdotes ad iudicee cohonestandum finem quem sibi proposuerant, ut patet ex toto processu. Attamen non sibi constiterunt; nam prius accusarunt Jesum de crimine politico; quam quidem deinceps accusationem deserentes intenterunt accusationem de crimine religioso; verum et hanc pariter dimittentes iterum se receperunt ad crimen politicum Jo. XVIII. XIX. Princeps autem sacerdotum in privato conventu non criminis politici, sed criminis tantum religiosi reum esse Jesum declaravit Matth. XXVI. 65. Ob neutrum tamen crimen damnatus est; non quidem ob crimen religionis quod parvipendit Pilatus; non ob crimen politicum in quo innocens iterum iterumque declaratus est ab eo ad quem spectabat de tali crimine cognoscere, nempe a provinciae praeside, qui non nisi clamoribus, iniuriis, tumultu Iudaeorum perterritus eorum cessit voluntati, sic Deo providente, ut Christi accusatorum et hostium livor, malitia et hypoerisis in propatulo ponerentur (b).

III. Obj. 1. Sacerdotes et seniores se ad supplicii locum contulerunt; quoniam vero sententia huic facto innitebatur, quod nempe Jesus illegaliter sibi titulum filii Dei, imo et Dei ipsius arrogasset, sic ipsum interpellabant: « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere: si Rex Israel est descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc si vult eum; dixit enim: quia filius Dei

(a) Matth. XXVI. 24. Marc. XIV. 1.

(b) Cf. Jahn. Archæol. biblica §. 246. ubi et ipse ostendit quae Talmudici in Sanhedrin IV. statuunt circa iudiciorum tempus, formam etc. omnia in tumultuario de Jesu iudicio neglecta fuisse. Sed juvat percurrere conditiones et formas iudiciales (*proceduram* nunc vulgo nominant), quas circa testes et rationem iudicandi in foro iudaeo exhibet Sanhedrin tam in iudiciis pecuniariis, quam in iudiciis capitalibus c. IV. et V. easque comparare cum historia evangelica, ut evidenter omnibus constet eas in iudicio Jesu non solum neglectas, sed plane conculcatas fuisse. Extat porro tractatus de Synedris in Thesuro Ugolini tom. XXV. capp. cith. pag. 93. seqq.

sum) Matth. XXVII. 42. Juxta evangelistam ejusmodi verba praese ferebant illusionem et contemptum; ast personarum, quae illa proferebant natura, dignitas, aetas, ordo quem in Christi iudicio secuti fuerant evincunt bonam ipsorum fidem. 2. Miraculum ea ipsa hora nonne decisivum fuisse (a)? 3. Non proprie Iudaei sed vaticinia Christum interfecerunt: Jesus saepe praedixerat mortem suam; hinc sive Iudaei eum interfecissent, sive non, semper deicide fuissent. Etenim eum occidendo fuissent deicide, ut patet, non interficiendo tanto magis deicide fuissent, falsitatis arguendo ipsius vaticinia (b). Ergo.

R. Ad 1. N. Christi damnationem huic facto inniti, vidimus enim Pilatum nullam rationem hujus impacti criminis habuisse, sacerdotes vero et pharisaei longe ante Christi confessionem de filiatione sua divina decreverant ipsius mortem, ergo Christi declaratio quod esset filius Dei non fuit nisi praetextus, ut saepe monuimus, quo ipsi nisi sunt ad Christum sub specie legali condemnandum. Ex his recte colligitur in verbis relatis veram subsannationem, irrisionem, ironiam denique amarulentam contineri, quam et factis ostenderunt, *moventes capita sua*, et *dicentes ad alterutrum, cum scribis*; et alios salvos fecit etc. in quo concordant tres evangelistae qui sacerdotum verba referunt (c), quos propterea si adversarius adducit pro se, debet pariter recipere testantes contra se. Adde et in hac agendi et loquendi ratione, etsi non adverterent, ad verbum omnino eos adimplexisse prophetiam quam longe ante protulerat David Ps. XXI. 8. 9. Quid propterea contra facta possunt conjecturae ex dignitate, gradu etc. deducere, cum cupiditate obcaecati hi Christi hostes omnes fines transierint, ut patet ex tota serie rerum gestarum?

Ad 2. R. 1. Tr. quos enim cetera miracula non moverunt, neque aliud mortis tempore patrum pervicaces atque in sententia sua obfirmatos profecto movisset. R. II. nec defuisse ejusmodi miracula, quae Christi mortem aut comitata sunt aut subsequuta, solis videlicet obtenebrationem, terrae concussionem, veli discessionem (d); denique quod caput est, gloriosam ipsius a mortuis resurrectionem post triduum, de qua suo loco egimus (e).

Ad 3. R. dedecere ejusmodi argutiam in re tanti momenti, eamque non proderet nisi stultitiam eorum incredulorum qui se philosophos jactant. Vaticinia enim logice, ut ajunt, sive ordine vel ratione subsequuntur liberam hominum deliberationem, ut suo loco monuimus (f), quae ordine ac ratione anterior est ipsa praevisione cuius objectum est, ac proinde praedictione. Adeo miseri sunt increduli dum adversus religionem Christianam pugnant! Ut erim ex

(a) Salvador. ib. p. 87. seqq.

(b) Ib. p. 85. note.

(c) Matth. XXVII. 39-41. Marc. XV. 29-31. Luc. XXIII. 35.

(d) Matth. XXVII. 45. 51. seqq. Marc. XV. 33. 39. Luc. XXIII. 44. 45.

(e) Tract. de Vera relig. P. I. cap. IV. prop. I.

(f) Tract. de Deo, pag. 412 et 413 ad 4.

hucusque disputatis compertum sit eo adiguntur ut vel aperte mentiantur, vel veris falsa commisceant, vel denique ad scurrilia descendant (a).

#### CONCLUSIO.

Quae cum ita se habeant juverit paucis perstringere, quae fusiori calamo tum adversus Iudaeos, tum adversus biblicos et incredulos prosecuti sumus, ut argumentorum nexus appareat ex quo exurgit instituta demonstratio de adventu ac persona Messiae.

Ex dictis igitur certum est 1. Messiam aliquem vel ab ipso mundi exordio humano generi a Deo fuisse promissum; Dei promissiones successu temporis ita fuisse saepius iteratas, ut, quo magis promissionum implendarum tempus instabat, eo illustriores fuerint; fidem in venturum hunc Liberatorem quavis aetate plus minus viguisse penes omnes gentes, praesertim vero penes israeliticum populum quem Deus constituit harum promissionum depositarium atque custodem. 2. Promissi hujus Messiae determinata in scripturis munia et characteres, atque adeo epocham ipsam adventus ejus quin retardari posset. 3. Messiam propterea hunc peculiare esse determinatumque individuum. 4. Elapsas esse epochas omnes promissi Messiae, completaeque omnia, quae ab eodem gerenda erant, neque haec suo tempore praestitisse nisi unum Jesum Nazarenum in quem omnia quadrant prophetarum vaticinia, epochae, characteres et cetera, quae aut praecedere aut comitari aut subsequi adventum Messiae debebant, et in eo complenda erant, ideoque 5. Messiam advenisse neque hunc alium esse aut esse posse nisi Jesum, prout nobis demonstrandum proposuimus.

Ex his autem non modo adversus Hebraeos colligitur inani ipsos ac fallaci prorsus spe duci dum adhuc praestolantur venturum eum qui jamdiu venit, verum etiam eo adductos esse ut absoluta impotentia definiantur ostendendi alium quempiam praeter Jesum esse Messiam. Ejus enim naturae sunt pleraque vati-

(a) Cf. Opuscul. cui tit. *Jésus devant Caïphe et Pilate*, Réfutation du chapitre de M. Salvador intitulé *Jugement et condamnation de Jésus*. Par M. Dupin aîné. Paris 1828.

cinia quae Messiam praenuntiabant, ut non nisi semel compleri potuerint. Eum in censum veniunt quae epocham determinant sub finem judaeae republicae stantibus adhuc et paulo post evertendis Urbe ac templo; quae dispersionem Iudaeorum et vocationem gentium, mosaici pacti abolitionem novique foederis pangendi ac novi cultus suffocationem portendunt. Alia praeterea vaticinia reperiuntur quae, si simul sumas, ita tali individuo adnexa sunt, ut alii convenire nequeant, ejusmodi sunt characteres quos vocant personales, circa originem, nativitatem, vitam, rationem, passionem, violentam necem sustinendam, gloriam inde subsequendam qua cum consecratis quae ab iis dependent. Alia denique habentur vaticinia, quae, spectatis politicis rerum eventibus, impossibile efficitur Iudaeis ostendere in alio quopiam ea jam adimpleta esse, seu unquam adimplenda. Nam ex omnium veterum consensu juxta prophetias ex tribu Juda ac praecise ex familia David descendere debet seu nasci promissus Messias; jam vero ita omnem censum tribuum et familiarum post universalem dispersionem Iudaei amiserunt, atque ita tribus omnes ac familiae permixtae sunt, ut nequeant omnino determinare ad quamnam tribum, multo minus ad quam familiam quispiam pertineat. Posterius autem David a Romanis ita omnes sunt deleti, ut nemo superstes evaserit (a). Patet proinde non solum nullam superesse posse Iudaeis spem futuri Messiae, sed omnem fidei adeptam, ac praclusam viam esse ad alium praeter Jesum Nazarenum agnoscendum.

Atque hinc novum exurgit pro veritate religionis christiana ejusque divina origine argumentum. Si quis enim secum animo reputet admirabilem plane divinae providentiae dispositionem erga singularem hunc populum, factorum seriem ac vicissitudines, quas eadem gens subit sive ante sive post Christi adventum, easque comparet cum vaticiniis in quibus haec omnia praenuntiata sunt, non poterit quin agnoscat ac deprehendat tum vim divinae praesentiae tum ceteros characteres divinae ac supernaturalis revelationis.

(a) Cf. W. Schikardi *Jus regum Judaeor.* problem. XX. apud Ugolini in Thes. p. 794.

## TRACTATUS DE INCARNATIONE.

### Pars Posterior

#### ADVERSUS HAERETICOS.

Christologia Christianorum, ut vocant, complectitur germanam Dominicae Incarnationis mysterii doctrinam, quam veteres passim *theoplas economiam* aut *dispensationem* nominant. Definiri autem solet Incarnatio: assumptio naturae humanae a Verbo divino facta in unitate personae ad humanum genus redimendum. Christus vero est ipsum Dei Verbum homo factum.

Ex qua definitione deprehendimus ad adstruendam plenam Dominicae Incarnationis doctrinam a nobis exigi ut vindicemus 1. in Christo naturam divinam; 2. naturam humanam; 3. unionem, seu unionem amborum naturarum in una Divina Verbi persona; 4. integritatem utriusque naturae post unionem; 5. utriusque pariter naturae operationem et voluntatem; 6. idiomatum, ut vocant, communionem, theandri-

eas actiones ex hypostatica conjunctione provenientes, et adorationem Christo debitam; 7. Christi titulos, munia et excellentiam; 8. meritum Christi actionum; 9. exhibitam ab eo satisfactionem pro peccatis nostris et redemptionem.

In his igitur singillatim enucleandis catholicae doctrinae capitibus cum consecrariis ab iisdem dependentibus atque adnexis operam nostram impendemus recensentes haereticos tum antiquos tum recentiores, qui catholicam doctrinam subruere aut quoquo modo labefactare adnisi sunt, aut eos etiam qui a recto tramite deflexerunt.

## CAPUT I.

## De divina Christi natura.

Directe impetunt divinam Christi naturam Sociniani haeresim renovantes jamdiu protritum photinianorum, Pauli Samosatani aliorumque obscuriorum sectariorum (a). Socinianos cum suis surculis plerique protestantes recentiores sequuntur ex quibus orti sunt rationaliste qui impietate omnes praedecessores haereticos facile superant, ita ut cum ipsis vix comparari possint. Ex istorum sensu et sententia Christus conferri debet cum Pythagora, Socrate, Platone, Zenone, Seneca, Marco Aurelio, aliisque antiquitatis philosophis graecis atque latinis, aut etiam cum orientalibus, Zoroastro, Confucio atque Mahomete, quos, ut ipsi autumant, Deus excitavit ut dictis factisque populares suos edoceret, vel etiam institutis politicis et religiosis ad posteros transmissis a vitis pravisque moribus arcerent (b). Nervos proinde omnes in hoc praecipuo christiana seu catholicae religionis dogmate adstruendo intendere debemus.

Quum vero satis prolixè egerimus de divinitate Verbi in tract. de Trinitate adversus Arianos, hoc ipso ostendimus, saltem indirecte, divinitatem Christi, quae ab illa pendet. Ut igitur omnes probationes illuc productas cum ex scriptura, tum ex constanti Ecclesiae sensu, traditione et doctrina ad rem praesentem transferamus, satis nobis hic erit evincere Verbum illud ipsum quod Deum Deique filium, seu secundam

(a) Cf. Petav. de Incarn. c. II. et III. Ex censu tamen haereticorum, qui inficiati sunt divini Verbi incarnationem juxta Petavium, subducendi sunt Nazareni, prout ostendimus in Tract. de Trin. n. 218, seqq.

(b) Ita aperte Wegscheider §. 120. a. Nec aliter sentit Baur ut patet ex ejus systemate de quo diximus in tract. de Deo creat. p. III. n. 491. n. (a). Sic pariter Richter *das Christenthum v. d. aeltesten Religionen des Orients* seu: Christianismus ex antiquissimis religionibus Orientis. Lips. 1819. Carol. Hase profess. Jenens. qui in op. *Das Leben Jesu etc.* seu *Vita Jesu*. Lips. 1829. scribit: *Jesus homo Dei, non per mirabilem divinae in humanam naturam ingressum, sed per perfectam humanae naturae eruditionem, quippe quae hominem divinum reddidit. Jesus itaque Dei Filius per apotheosim, non per incarnationem.* Deinde subdit nullam Christum duxisse uxorem, quod nullam invenerit dignam se. Ita progrediuntur protestantes.

Sanctissimae Trinitatis personam, con-substantialem Patri esse demonstravimus, idem esse ac Christum, seu Verbum humana carne indutum, id est, humanae naturae hypostaticae conjunctum. Hoc autem tum ex sacris litteris, tum ex perpetua traditione, et Ecclesiae doctrina adstruimus, alias praeterea adjicientes probationes ad divinitatem Christi directe magis magisque confirmandam; quae omnia generali sequenti propositione complectimur.

**PROPOSITIO.** — Vera et proprie dicta divinitas seu naturae divina in Christo Jesu agnoscenda est et profitenda.

De fide est haec propositio, prout constat ex perpetua Ecclesiae doctrina et professione in symbolis expressa. Addidimus autem *veram et proprie dictam divinitatem*, seu naturam divinam in Christo esse agnoscendam ad omne effugium praeccludendum adversariis nostris, qui divinitatem lato sensu acceptam in Christo ultro admittunt et agnoscunt.

Ita vero ex praemissis enunciatam veritatem ostendimus: Verbum de quo loquitur Joannes initio Evangelii sui verus Deus est, omniumque rerum conditor ac Patri coaeternus: atqui hoc Evangelii Joannis initium: *In principio erat Verbum etc.* nequit ad alium quam ad Christum referri; ergo ex Joanne vera et proprie dicta divinitas, seu natura divina in Christo est agnoscenda. Jam vero minor propositi syllogismi neque ab adversariis ipsis in dubium vocatur, cum de hoc ipso Verbo scribat Joannes v. 14.

« Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre. » Ideo vero magnificum illud proemium Joannes ut ex eo lucem suam mutarentur, quae in toto Evangelii decursu de Christo erat relaturus, scilicet ipsum e caelo venisse, Filium Dei esse, antequam mundus fieret apud Patrem extitisse, ipsum e Patre et ex Deo processisse, ipsum esse in caelo, dum loqueretur in terra, aliaque ejusmodi, quae facite omnia intelliguntur illo proemio praemisso, illo sublato, totidem aenigmata inexplicabilia penitus evadunt (a).

Praeterea non aliud de Christo credere aut sentire possumus quam quod 1. Christus de seipso praedicavit Judaeis; 2. commisit discipulis suis; 3. nec alio sensu ab eo quo ipsum tum evangelista, tum Judaei sumperunt; 4. denique ab eo quem Scriptores reliqui de eo docuerunt. Porro singula haec capita percurrentes impossibile est veram ac proprie dictam divinitatem in Christo non agnoscere. Etenim

I. Christus non solum se Dei filium esse clare et aperte docuit, sed ita docuit, ut posuerit fundamentum praecipuum religionis suae et spem omnem salutis in hac divinitatis suae fide. Etenim Jo. III. 16. « Sic Deus, inquit, dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam... qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei; » 2. cum dixisset Judaeis Jo. VIII. 52.

(a) Cf. Tract. de Trin. pag. 512.

« Veritas liberabit vos, » responderunt superbe Judaei: « Nos nemini servivimus unquam; » tum Christus rursus, V. 54: « Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum; filius autem manet in aeternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. » Quibus verbis Christus sibi potestatem tribuit Patris, et filii naturalis, qui quos vult adsciscit in domum Patris sui, et eos ex servitute in libertatem vindicat, 3. Christus velut filius in domo sua Jo. II. 16. templi profanatores efficit dicens; « Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis, » vel ut Matth. XXI. 15. loquitur: « Domus mea domus orationis vocabitur. » 4. Docet tanquam auctoritatem habens, id est potestate legislativa suprema ex nomine suo: *scriptum est vel dictum est antiquis: ego autem dico vobis* Matth. VII. 21. « Non omnis qui dicit mihi Domine Domine; » XXIV. 35. « Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt; » (a). Et Jo. VIII. 51. « Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum; » 5. docebat ut sapientia ante saecula ab aeterno genita, et hanc sapientiam se esse declarat; nam pro eo quod Matth. XXIII. 34. dicitur « Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes » Luc. inquit: « Propterea et sapientia Dei dixit: mittam ad vos etc... justificata est sapientia ab omnibus filiis suis (b). » 6. Christus insuper omnes alienos sensus a vera ac naturali filiatione divina removet dum Jo. XV. 18. Deum vocat patrem proprium, *patrem* (c); imo vel sub ipsa parabolarum caligine idipsum docebat; sic Marc. XII. 6. « Adhuc unum habens filium carissimum et illum misit ad eos novissimum dicens: quia verebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt ad invicem, hic est haeres, venite etc. » ubi instituit clarissimam antithesim inter servos quos antea Deus mi-erat et filium suum. 7. hocet Christus ante Abraham se esse, pluribus in locis se e caelo descendisse declarat: Jo. VIII. 58. « Amen, amen dico vobis: antequam Abraham fieret ego sum, » quibus suam patefacit aeternitatem dicens: *sum*; docet se esse in caelo dum est in terra: « Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo filius hominis qui est in caelo (d); » rursus: « Descendi de caelo... hic est panis de caelo descendens... ego sum panis vivus qui de caelo descendi... si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? ... scio unde veni et quo vado. Vos de deorsum estis, ego de superis sum » (e). Haec omnia,

(a) Porro hoc ipsum vidit subtilis Judaeus Orobius, qui in tertio Scripto III. quaesito. n. 7. concludit: « Igitur qui propheta venerit et dicat in nomine suo salvandos, miracula in nomine suo facienda, in seipsum fidem exegerit ad salutem aeternam, in nomine suo, et a se peccata hominibus condonanda: iste non est Dei minister, non est propheta, sed Deus ipse. » Cf. Amic. collat. pag. 108.

(b) C. XI v. 49; et VII, v. 55

(c) In vulgat. ed. *patrem*.

(d) Jo. III. 13.

(e) Cf. Jo. VI. 38. 41. 50. 63. VIII. 14. 25. etc.

supposita aeterni Verbi incarnatione, plana sunt, nullum vero sensum habent si illa tollatur. 8. Sed neque his contentus clarius adhuc sibi tribuit naturalem Filii Dei notionem. Postulat enim haec, ut cum Deus Filium generando totam ei substantiam traderit, Filius in Patre sit, et Pater in Filio, et uterque unum sint. Haec autem de se Christus praedicavit dicens: « Pater in me est et ego in Patre: ego et Pater unum sumus » (a). Hinc cum neuter ab ulla creata re comprehendi possit, Pater comprehendit Filium, Filius vero comprehendit Patrem: « Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius » (b). 9. Nihil denique de divina majestate cogitare possumus quod sibi Christus non attribuerit. *Dominum* siquidem se perpetuo praedicat ex prorsus sensu, quo Judaei hunc titulum Deo tribuebant, ut ceteris omissis constat ex iis, quae afferit Luc. VI. 46. « Quid autem vocatis me Domine Domine, et non facitis quae dico? » quae simillima sunt iis, quae apud Malach. I. 6. leguntur: « Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » *Deum* se etiam declarat sibi applicans Isaiam vaticinium XXXV. 4. « Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum » (c) et Matth. XI. 4. « Enntes renuntiate... Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te, » ad se referens oraculo Malachiae: « Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam » (d). *Omnipotentem* se exhibet in corporibus animisque curandis imo et mortuis ad vitam excitandis: siquidem non alieno nomine, ut Petrus Act. III. 6. sed proprio edebat miracula, ac potestate sibi insita; leproso enim dicenti sibi: « Domine si vis potes me mundare » respondit Christus: (e) *Volo*; laudat centurionis fidem, qui ex suo in milites imperio summum Christi in res creatas omnes dominium et potestatem spectabat (f); declarat se miracula operari, et mortuos a se vivificari, ut vivificatur a Patre (g). Eandem ostendit potentiam in animis curandis dum se auctorem gratiae perhibet; « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis » (h); hinc mulier peccatrix ab eo animi salutem postulat eadem fiducia ac alii salutem corporis, eique Christus eam imperit, quinimo utitur exemplo creditoris a quo debitum omne gratuito dimititur duobus debitoribus, et hunc se esse crediterem ostendit ac declarat dicens: « Vides hanc mulierem etc. » (i) Utramque potestatem in corpus et animam egregie demonstra-

(a) Jo. X. 38. et 50.

(b) Matth. XI. 27.

(c) *Ibid.* 5.

(d) Cf. quae de hoc oraculo scripsimus P. I. n. 11. not. (a).

(e) Matth. VIII. 2.

(f) *Ibid.* 9. seqq.

(g) Jo. V. 17.

(h) Jo. VI. 27.

(i) Luc. VII. 44. seqq.

vit cum sanum fecit paralyticum; etenim cum dixisset ei: « Confide filii dimittentur tibi peccata tua » murmurabant pharisæi intra se dicentes: « Hic blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? » Assentitur Christus peccata a solo Deo dimitti, sed hæc ipsa de causa hæc potestatem sibi vindicat; nam ut probet se tali pollere potestate ideoque et Deum esse « ait paralytico: tibi dico surge » (a). *Supremum* se exhibet *judicem* qui vel præmia vel pœnas decernat; præmium quidem cum de ovibus suis: « Et ego, inquit, vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea » (b); supplicia vero dum ait: « Mittet filius hominis Angelos suos... et mittent eos in carcerum ignis » (c). Denique Christus in sermonibus suis quos coram Judæis habuit non semel testatus est debitum sibi esse triplex officium quo erga Deum obstricti sumus fidei, spei et charitatis; fidei quidem illis verbis: « Hæc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. Qui credit in me habet vitam æternam » (d); spei: « Si ergo filius vos liberaverit vere liberi eritis » (e) alioquin nulla inde evadendi ratio et spes suppetit; charitatis: « Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum » (f). Et hæc Christus de se, quibus sibi proprie dictam divinitatem, Dei scilicet nomen, nativitatem, naturam, potestatem, professionem (g), ceteraque omnia vindicavit, quæ non nisi in eum qui natura Deus sit, cadere possunt.

II. Neque aliter se patefecit discipulis: etenim sibi semper constans dicebat cæco nato quem sanaverat: « Tu credis in Filium Dei?... et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. At ille ait: Credo, Domine, et prociens adoravit eum » (h). Item Marthæ: « Ego sum, inquit, resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit vivet, et omnis qui credit in me non morietur in æternum: credis hoc? » respondit autem ei Martha coherentem ad Christi expostulationem: « Utique Domine, ego credidi, quia tu es *Christus Filius Dei vivi*, qui in hunc mundum venisti » (i). Apostolis vero ante passionem suam: « Creditis in Deum, et in me credite » (j), nec qualemcumque fidem exigit, sed eam, quæ per charitatem operatur. Postulat enim ut eam super omnia diligamus, et ejus mandata custodiamus: « Qui amat patrem aut matrem

(a) Matth. IX. 2. seqq.

(b) Jo. X. 28.

(c) Matth. XIII. 41.

(d) Jo. VI. 29 et 47.

(e) Jo. VIII. 36.

(f) Luc. VII. 47.

(g) Ad hæc præcipua capita s. Hilarius revocavit argumenta omnia, quibus veram et proprie dictam Jesu Christi divinitatem adversus arianos aliosque illius ætatis hæreticos vindicavit. Sic enim disserit s. Doctor lib. VII. de Trin. n. 9. « Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione. » Hæc vero singillatim toto libro fuse prosequitur.

(h) Jo. IX. 35. seqq.

(i) Jo. XI. 23-27.

(j) Jo. XIV. 1.

plius quam me, non est me dignus » (a); et rursus: « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me » (b). Si quis diligit me, sermonem meum servabit » (c). Discipulorum mentem ad divinitatis suæ fidem erigit; dat enim eis « potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici » (d); promittit eis « os et sapientiam cui non poterunt resistere omnes adversarii ejus » (e); « Quodcumque petieritis. Patrem in nomine meo hoc faciam » (f); promittit se missurum spiritum veritatis « Et ego mittam eum ad vos » (g); neque ut Moyses aut propheta mandata annuntiat, sed ea in cordibus nostris insculpit et dat virtutem ea executioni mandandi: « Ego sum vitis vera, vos palmites, manete in me » (h); suam pariter omnipotentiam et immensitatem luculenter commendat dum Matth. XVIII. 20. eisdem pollicetur: « Ubi enim sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; » etc. XXVIII. « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi » et alibi « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus » (i).

III. Videndum superest quonam sensu verba Christi intellexerint Judæi et Christi discipuli. Porro Judæi in sensu obvio acceperunt, et Christus hunc ipsum sensum confirmavit. Primum autem evincunt Judæorum querela Jo. VI. « Nomen hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendit? » (j)? Non igitur ut sociniani de dono cœlesti Christi verba intellexerunt, quod evincit ipsorum furor Jo. V. Cum enim pro certo haberent Christum vocasse Deum patrem *proprium* « propterea magis querebant eum interficere; » ipsum accusarunt blasphemie, volebantque lapidare, « quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum » (k). Si igitur Christus non fuisset vere Deus ac proprius et naturalis Dei Filius, delinisset omni modo vel ipsam hujus rei suspicionem e Judæorum animis evellere sive ut eorum furorem comperceret, sive ut scandalum amoveret, prout ipsius veracitas et charitas exposebant; porro Jesus non solum ea verba non emollivit ac temperavit quibus de sua divinitate opinionem ingesserat Judæis, sed constanter eandem sibi vindicavit et eo magis perstitit in ea asserenda, quo magis illi exardescabant. Nam Jo. VIII. 26. « Qui me misit, inquit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo; » et v. 58. ego quæ vidi apud Patrem meum loquor. Utitur quadruplici argumentorum genere 1. Joannis

(a) Matth. X. 37.

(b) Jo. XIV. 21.

(c) Ibid. 25.

(d) Luc. X. 19.

(e) Luc. XXI. 15.

(f) Jo. XIV. 15.

(g) Jo. XV. 26.

(h) Ibid. 5. seqq.

(i) Jo. XIV. 23.

(j) v. 42.

(k) Jo. X. 33.

Baptiste testimonio, qui cum Filium Dei et e cœlo venisse testatus fuerat (a); 2. ipsius etiam Patris testimonio, cujus hæc vox audita est: « Hic est Filius meus dilectus (b); » 3. ipsa etiam miraculorum voce ad frangendam Judæorum improbitatem aptissima (c); 4. scripturarum auctoritate. Quæ quidem argumenta collecta exhibet Jo. V. 33. seqq. dicens: « Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati... ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut faciam ea, ipsa opera, quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me... et qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me... scrutamini scripturas... et illa sunt, quæ testimonium perhibent de me; » hoc autem dixit cum ipsum vellent Judæi interficere eo quod *proprium* patrem diceret Deum, et traducerent blasphemie reum eo quod æqualem se faceret Deo. Christus demum hoc ipsum jurejurando et sanguine confirmavit; interrogatus enim: « Tu es filius Dei? Respondit: ego sum (d), » quod dictum ut blasphemiam Judæi acceperunt: « Quid adhuc egemus testibus, inquit, vos audistis blasphemiam: omnes clamant: reus est mortis (e); » ac coram Pilato hoc crimen ipsi intulerunt: « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia *Filium Dei se fecit* (f); » ea ratione propter quam paulo ante voluerunt eum lapidare eo quod dixerat: « Filius Dei sum. » Ergo patet non solum Christum suam divinitatem proprie dictam predicasse, sed Judæos ita eum intellexisse, et Christum eam confirmasse omni argumentorum genere. Quod nisi admittatur, concludi deberet totam controversiam ob quam Christum Judæi voluerunt lapidare, interficere, et propter quam accusarunt blasphemiam, et reum ex lege detinuerunt et morti addiderunt, in eo fuisse, quod se hominem præstantissimum diceret et Judæi noluerint credere. Consequeretur præterea rem totam stetisse in verborum lógomachia, quam eum Christus dirimere paucis voculis potuisset totamque solvere, voluerit potius in falsa hac opinione obstinate eos relinquere. Quis ejusmodi absurda in animum inducat suum?

Sed de divinitate proprie dicta verba Christi intellexerunt insuper discipuli ejus, quod triplici ex capite eruitur: 1. ex eo quod nunquam lenierint aliqua interpretatione quæ Christus tam magnifice de sua divinitate protulit; 2. ex eo quod ejus effata mirifice confirmaverint; 3. ex eorum proposito in scribenda magistri vita. Ad primum enim quod attinet, nonnulla obscure dicta summa semper diligentia explanant e. g. cum dixit: *Soluite templum hoc; Unde ememus panes; Lazarus unicus noster dormit* aliæque ejusmodi; jam vero, admissa contexta unitariorum explicatione, longe obscurius Christus locutus fuisset

(a) Jo. III. 31.

(b) Matth. III. 17.

(c) Jo. X. 25.

(d) Marc. XIV. 62.

(e) Ibid. 65. seq. Matth. XXVI. 65. 66. Luc. XXII. 71.

(f) Jo. XIX. 7.

cum de præstantia sua sermonem instituit, quam in adductis locis, quæ ab evangelistis explanata sunt; attamen nunquam exponunt, quin potius arguunt interdum Judæos, quod non intellexerint verba Christi cum de sua loqueretur divinitate. Nam cum Jo. VIII. interrogasset Judæi Christum: « Tu quis es » ac respondisset Christus, v. 27: « Principium, qui et loquor vobis » addit: « Non cognoverunt, quia patrem ejus dicebat Deum » ex Joanne igitur non errabant Judæi dum Christi effata accipiebant de eo, quod sibi tribueret Deum patrem suum naturalem; verum idem adnotat eos potius errasse cum Christum non intellexerunt dicentem patrem suum esse Deum.

Hinc est quod evangeliste singuli exordiantur Evangelium ab aliquo præclaro Jesu Christi divinitatis testimonio. Matthæus enim referens Christi conceptionem ei applicat verba Isaia VII. 14. « Ecce virgo concipiet... et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus » (a); Marcus vero incipit: « Initium Evangelii J. C. *Filii Dei*; sicut scriptum est in Isaia propheta: ecce ego mitto angelum meum » etc. (b); sic Lucas inducit Angelum dicentem Zachariæ: « Multos filiorum Israel convertet ad Dominum. Deum ipsorum et ipse procedet ante illum (Dominum Deum) in spiritu et virtute Eliæ » (c). Sed præ ceteris s. Joannes de quo supra dictum est.

IV. Sed non minus splendide certatim scriptores reliqui sacri divinitatem Christi prædicant, ex quibus nova lux accedit iis, quæ in Evangelis habentur. Paulus enim in ep. ad Hebr. III. 5. 6. eum vocat Dominum domus suæ ad discrimen Moysis, qui fidelis famulus tantum in eadem domo fuit; e. I. *Filius Dei* ab eo dicitur, splendor gloriae et figura substantiæ Patris; eum exhibet Deum creatorem omnium tum ibi tum e. III. 4. « Qui autem creavit omnia Deus est; » aternitatem, immutabilitatem, omnipotentiam ei tribuit: « Jesus Christus heri et hodie: ipse et in secula (d). Tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis etc. » Rom. VIII. 52. eum vocat *Filium Dei proprium*. Coloss. I. 16. « Omnia, inquit, per ipsum, et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant; » I. Tim. III. 16. vocatur « Deus manifestatus in carne; » et Rom. IX. 5. « Deus benedictus in secula; » ad Tit. II. 45. eum dicit *magnum Deum*; ad Philipp. II. 6. « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. » Sic etiam apostolus Petrus discrete declarat Christum esse cum Patre summum illum Deum, qui *Jehovah* in scripturis vocatur; ad illum enim refert illud Ps. XXXIII. « Gustate et videte quoniam suavis est Dominus » inquit: « Si tamen gustastis quoniam dulcis est Do-

(a) Matth. I. 23.

(b) Marc. I. 1.

(c) Luc. I. 16. 17.

(d) Hebr. XIII. 8.

(e) Ibid. I. 10.